DISPVTATIO MEDICA
INAVGVRALIS
DE
PODAGRA.

QVAM

ANNVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

WYERI GVLIELMI MVYS,

M. D. EIVSDEMQVE ET MATHESEOS PROFESSORIS ORDINARII, &c. &c.

NEC NON

Amplissimi SENATVS ACADEMICI Consensu, *Et Nobilissimae FACVLTATIS MEDICAE Decreto.*

PRO GRADV DOCTORATVS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis

Solenni Examini Submittit.

IANVS EVERHARDVS MEEKMA,

Leovard. Frisius.

A. D. 1 Maii MDCCXXXIII.



FRANEQVERAE,

Excudit GVLIELMVS COVLON, Illust. Frisiae Ordd. Academiae Typograph. Ordin. MDCCXXXIII.

CELSISSIMO. ET. SERENISSIMO.

PRINCIPI.

GVLIELMO. CAROLO. HENRICO. FRISONI.

DEI. GRATIA. ARAVSIONENSI. ET. NASSAVIO. PRINCIPI. COMITI. CATTIMELIBOCORVM. VIANDAE. DIETZIAE. SPIGELBERGAE. LINGAE. MEVRSAE. BVRAE. LEERDAMI. MARCHIONI. VERAE. VLISSINGAEQVE. DOMINO. ET. BARONI. BREDAE. GRAVAE. BIELSTENII. LIESVELDIAE. DIOECESEOS. CVKIANAE. DIESTAE. GRIMBERGAE. HERISTALLI. CRANENDONKI. VARNESTONI. ARLAEI. NOSEROCI. S. VITI. DASBORCHI. POLANI. GVLIELMOPOLEOS. NIVARTII. ISELSTENII. STEENBERGAE. S. MARTINODICI. MONTIS. GERTRVDIS. CASTELLORENARDI. SEVENBERGAE. SVPERIORIS. AC. INFERIORIS. SVALVAE. NALTVICI. BVRGGRAVIO. HEREDITARIO. ANTVERPIAE. ET. BESANCONII. DOMINO. AMELANDIAE. GELRIAE. GVBERNATORI. ET. ARMORVM. PRAEFECTO. SVPREMO. FRISIAE. ITEM. GVBERNATORI. HEREDITARIO. ET. MILI-

TIAE.

TIAE. SVMMO. DVCTORI. GRONINGAE. ETIAM. AGRORVMQVE. CIRCVMIECTORVM. NEC. NON. DRENTIAE. GVBERNATORI. MILITIAEQVE. RECTORI. ALMAE. FRISIORVM. ACADEMIAE. CVRATORI. HONORARIO. MAGNIFICENTISSIMO.

IANVS. EVERHARDVS. MEEKMA.

Hero-

*Eroum ſoboles, divi Genitoris imago,*
Auree Pierio ſol, GVLIELME, *choro,*
Maecenas redivive, ſacrarum dextera legum,
Exemplar cunctis nobile principibus;
Quem ſibi Relligio, Libertas vindicat aequa,
Vtraque Naßaviis gloria parta tuis;
Accipe, quae nullo ſacramus munera cultu,
Ingenii quamvis pauperioris opes.

Ac-

Accipe, nec memorem facilis tu despice Musam,
O amor, o celsae spes recidiva domus.
Virtutes venerata tuas, venerata tuorum
Ardet in adspectum luminis ire tui.
Scit bene quam tenuis, quam sit sibi curta supellex,
Et qua te deceat relligione coli.
Sed tua me bonitas, hilaris sed gratia vultus
Erigit; ingenuos temperat illa metus.

Te

Te pia cum Genitrix noſtro concederet aevo,
Naſcenti riſit flavus Apollo tibi.
Excepit Venus alma ſinu, dedit ubera Pallas,
Adſedit cunis Suada benigna tuis.
Caſtaliae cecinere Deae, reſonabilis Echo
Rettulit optatis omina fauſta iugis.
Ipſa Themis leges, iuſti moderamina belli
Mars dedit, excelſum regia Iuno decus.

Feli-

Felices thalamos, ſperati gaudia lecti,
Apparat aurata cum face blandus Hymen.
Talibus auſpiciis, laeto ſub ſidere nate,
Vive diu noſtrae firma columna rei.
Te duce contingant Saturnia tempora Belgis,
Te ſuus Aoniſin vindice conſtet honos.
Vindice te Pallas, te vindice Phoebus ametur,
Et ſpiret coeptis aura ſecunda meis.

DI-



DISPVTATIO MEDICA

INAVGVRALIS.

DE

PODAGRA.

Ποδάγρα, quaſi τῶν ποδῶν ἄγραν, pedum capturam, dixeris, apud Graecos proprie *pedicam*, ſeu tendiculam, ſignificat, quam, ad apros cervosque capiendos, in ſcrobibus foſſisque, terra & arborum frondibus, ſubdole opertis, venatores deponunt; cuiusmodi quoque machina ποδοστράβη appellatur & quam accuratiſſime deſcripta eſt a *Xenophonte in Cyneget. p.* 781. *Ed. Leunclav. primae.* & a *Jul. Polluce Onomaſt. l.* v. *cap* 4. § 32, 33, 34. quibus addi meretur *Jan. Vlitius ad Gratii Cyneget.* v. 89. Voce autem deinceps a venatione ad medicinam tranſlata, & a Latinis in ſuum etiam ſermonem adſcita, *Po-*

A *dagrae*

dagrae nomine ab utriusque linguae ſcriptoribus appellari coepit iſte morbus, de quo agere cum maxime exordior.

EST, vero, *Podagra*, *dolens admodum aegritudo circa ligamenta oſſium pedis*, *& circa iunctu-ras horum; vere & autumno*, *maxime revertens.*

Aegritudinem, ſeu morbum, appello Podagram; quia in illa pedes ordinariis ſuis, & naturalibus, functionibus prohibentur.

Addo, *dolentem;* quoniam Podagrici ſenſum maximae moleſtiae, a pedibus oriundae, mente ſua percipere ſolent.

Locum affectum quod attinet, iſte in genere *pes* eſt, & inprimis illae pedis partes, quae ob nervoſum ſuum genus ſenſu plurimum pollent, quosque difficillime ſuum pervadit liquidum; uti ſunt: *ultimae arteriarum venarumque propagines*, *tendines*, *nervi*, *membranae*, *ligamenta*, nec non *glandulae mucilaginoſae*, quas optime deſcripſit *Hippocrates* περὶ ἀδένων § 1, 2. quoniam dicta loca a corde ſunt remotiſſima; & motui, ob ſoliditatem, duritiem, ac pondus incumbens, maxime reſiſtentia. Scio equidem fore nonnullos, qui *ligamenta*, tanquam omnis plane ſenſus expertia, hic excludi velint, verum, ut alios omittam,

tant, illis, pro me, affatim, respondet G. *Rondelet. Method. cur. morb. l.* III. *cap.* 81. *p. m.* 603. *Ligamenta*, inquit, *duplicia sunt. Alia enim sensu praedita sunt manifesto: alia vero nullum omnino sensum habere deprehenduntur. Quae a media ossis parte oriuntur, insensibilia sunt, ut quae tibiam cum coxa coniungunt, & femur cum coxendice. Talia cum ab ossis cartilagine nascantur, &, a cartilagine, condrosyndesmi appellentur, insensibilia esse oportet, de quibus nolo intelligere. Alia sunt; quae a periosteo, membrana, fiunt, & membranosa sunt, talia sentiunt. Nam, si periosteum sensibile sit, cur insensibilis erit illa membrana, quae duo ossium extrema retinet?*

Tempus, quo Podagra potissimum solet invadere atque saevire, *vernum* esse dixi, & *autumnale*, frequentissimis practicorum observationibus fretus. Ratio, cur ita fiat, infra latius erit explicanda.

DIFFERVNT in eo diversae Podagrae species, quod sit *calida*, vel, *frigida; diuturnior*, vel, *brevior; haereditaria*, vel, *adventitia; regularis*, vel, *irregularis. Calida*, est, cum dolore acutiore & magis exquisito, rubore, ardore, splendore; & soluta, torporem, habet subsequentem. *Frigida*, cum dolore obtusiore, tensivo, gravativo & tumore maiore; atque soluta, motus impoten-

tentiam, flacciditatem, & tophaceas concretiones, cretae gypſoque ſimiles, circa articulorum ligamenta, poſt ſe relinquit; unde *nodoſa* etiam vocatur. *Brevior* ſolet eſſe Podagra in iuvenibus, atque iis, qui corpore florido ſunt ac vegeto, quosque rarius invaſit. Aetate autem provectiores, debiles, & quos inveterata conſuetudo iam Podagrae, veluti glebae, adſcripſit, *diutius* excruciat. *Haereditaria* a parentibus in liberos, imo, & nepotes, transmittitur. *Regularis*, *Sydenhamum* ſequor, exeunte Ianuario, vel Februario incipiente, plerumque ſine ulla praeſenſione, ſi illam exceperis, quam mox, in *imminentis Podagrae ſignis diagnoſticis*, notabimus, derepente ingruit; atque hominem, qui ſe ſanus lecto ſomnoque commiſit, hora ſecunda matutina, cum dolore, pollicem pedis, ut plurimum, occupante, aggreditur. Dolor autem hic primum remiſſior, & rigore, horrore ac aliquali febricitatione comitatus, gradatim, per ſingulas horas, intenditur, donec tandem ſub noctem ad apicem pervenerit, & nunc canis rodentis morſum, mox ligamentorum tarſi & metatarſi dilacerationem, quandoque preſſuram & coarctationem, repraeſentat. Adhaec, tam vivum exquiſitumque ſenſum habet pars affecta, ut, nec linteorum ſuperincumbentium pondus, nec cubiculi a fortiore ambulatione concuſſionem, ferre poſſit. Hinc accidit, ut patiens, omni quiete orbatus, totum corpus nunc huc, nunc illuc,

agitet

agitet ac vertat, & continua rotatione, & iactatione, non tolerandi doloris sedationem, per mille conamina, affectet, quae illi tamen non obtingit ante horam secundam tertiamve matutinam, decurso scilicet integro unius noctis dieique spatio a primo appulsu paroxysmi. Sequente die, forte etiam ad biduum, triduumve, dolet non nihil pars affecta; idque vehementius, sole iam ad vesperam declinante; levatur autem sub galli cantum. Tum demum, praeterlapsis paucis diebus, in altero pede eaedem excitantur tragoediae, quas prior sustinuit. Quin imo, ob exuberantem materiae morbificae copiam, dolor podagricus nonnunquam utrosque pedes pari simul vehementia fatigat, sed tamen, plerumque, eos successive aggreditur. *Irregularis* dicitur, quae sequenti anno idem temporis punctum, quo priori paroxysmus invaserat, antevertit, a vitio aliquo in sex rebus non naturalibus admisso, accelerata & intempestive accersita.

SIGNA DIAGNOSTICA mali praesentis, sunt: dolor tensivus, dilacerans, coarctans, sensim increscens & post τὴν ἀκμὴν iterum decrescens, cum madore, rubore, tumore; finitus diaphoresi, fotu lecti, pruritu, desquammatione, vel abiens in cretam vasa rumpentem. Morbum vero in procinctu esse denuntiant, praegressa ventriculi cruditas; concoctio laesa ad septimanas

aliquot; corporis insuper intumescentia & gravitas; ructus; & paucis diebus ante paroxysmum torpor flatulentus, per femorum carnes quasi descendens, cum affectione σπασμοειδεῖ; alvus adstrictior; sudor pedum solitus interceptus, horumque varices.

CAVSA PROXIMA *est, Serum, copia, spissitudine & acredine, peccans, ope circulationis in minimis & capillaribus vasculis sanguiferis articulorum depositum, quod, inibi coagulatum, dictas partes obstruit, distendit, & tensione atque acrimonia sua, primo dolorem, postea etiam, tumorem, excitat; nec non aliorum liquidorum, a sanguine secretorum, compar indoles, iisdem effectibus, in vasis sibi propriis, prodendis apta.*

Sed, ne haec gratis dicta videri possint, prohibent argumenta sequentia.

I. α. Quod in arthriticorum sanguine, per V. S. misso, ingens seri portio reperiatur, teste *C. Pisone select. Obs. & Cons. sect.* v. *cap.* I. *pag.* 384. β. quod illius crassamento frigido cutis densa atque albida plerumque adhaereat, referente *M. Listero Exerc. Med.* VI. *Aegrot.* 2, 3, 7, & 9. γ. quod in analysi sanguinis Podagricorum chymica, comparata cum analysi sanguinis sanorum, salis quantitas

titas comperiatur, ut 6 ad 4 aut $5\frac{1}{2}$ ad 4, quemadmodum notat *Iohan. Coltbach in Tractatu, de Podagra*, *Anglice* edito.

II. Quod ſerum tartaro, qui in Podagricis occurrit, deponendo, ſit idoneum, ut poſtea liquebit.

III. Tranſitus Podagrae in hydropem, apoplexiam, convulſiones, & alios morbos ſoporoſos, uti paſſim obſervarunt practici. *V. C. Piſo l. c. p.* 418. & *L. River. Prax. Med. l.* XVI. *cap.* I.

IV. Quod medicamina, quae ſudores & urinas cient, in curatione huius morbi, ſint palmaria, quemadmodum experientia hoc evincit.

V. Quod omnes cauſae ſpeciales, mox ſubiungendae, hanc generalem & proximam, agnoſcant.

Porro alios liquores, a ſanguine ſecretos, & ſimilis corruptae indolis, non immerito a me accuſari, nemo inficiabitur, qui ex arboris ingenio fructus, & e fluminibus rivorum aquas, non recuſat aeſtimare.

Vlterioris lucis ergo, haud abs re fuerit quam breviſſime exponere, *quid naturaliter ſit ſerum*, ut

ut eo melius *modi*, *quibus possit immutari*, intelligantur.

Iam vero, *serum* dicitur *illud*, quod una cum *thrombo*, seu massa spissa & rubra, materiam sanguinis, constituit; atque est huius pars liquida, limpidi sive subflavi coloris, quae aliquando mole & gravitate specifica thrombum superat, & quandoque vicissim ab eo superatur. *V. Bohn. Circ. Anat. Progymn.* XIII. *p.* 171. *Gulielmin de Sang. Hum.* § 44. & *Boyl. Hist. Sang. Hum. Part.* III. *in princ.*, *&* *Exper* 1 *&* 2. *nec non*, *in append. ad Part* III. *Exper.* 1. Componitur autem ex particulis *aqueis*, quae illi pro vehiculo inserviunt; & *gelatinosis*, quo succum alibilem & nutritium possit constituere; hac fere proportione: ut in novem seri unciis, septem plerumque unciae aquae, & duo tantum gelatinae, cum particulis oleosis & salinis, arctissime illi mixtis, reperiantur, prout hoc accurato seri examine, & in partes constituentes distributione, apparet.

CAVSAE SPECIALES, *seu modi*, *quibus serum immutatur*, *sunt:*

I. *Perspiratio Sanctoriana* seu *insensibilis imminuta*, vel *ordinaria minor*. Vnde particulis, ceteroquin illius ope eliminandis, in corpore remanen-

nentibus 1. seri copia mirifice adaugetur. 2. maior illi crassities & viſciditas conciliatur. 3. motus illius imminuitur, ac, per consequens, serum ad stagnationem, putredinem, & contrahendam acrimoniam, adigitur. Huc autem faciunt:

1. *Densitas corporis maior, a naturali conformatione.* unde accidit. a. ut sequior sexus, ob molliorem texturam, maioremque adeo porositatem, Podagrae sit minus obnoxius; quod vero *Hippocrates Sect.* VI. *aphor.* 29. feminas ab illa prorsus immunes pronunciet: Γυνὴ ꙋ ποδαγρᾷ, ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτέῃ ἐκλίπῃ. id his saltem temporibus verum non esse, praeter alios plurimos, docere potest *M. Lister. Exerc. Med* VI. *Aegrot.* 3. Et sane, si unquam mulieres isto privilegio sunt gavisae, hoc amisisse videntur ob rationes, quas affert *L. Seneca, Epist* 95. *Maximus ille*, inquit, *medicorum, & huius scientiae conditor feminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hae iam & capillis destituuntur, & pedibus aegrae sunt: Non mutata feminarum natura, sed vita est. Nam cum virorum licentiam aequaverint, corporum quoque virilium vitia aequaverunt. Non minus pervigilant, non minus potant, & oleo & mero viros provocant: aeque invitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur: aeque nivem rodunt, solatium stomachi aestuantis. Libidine vero nec maribus quidem cedunt. Pati na-*

tae. Dii illas deaeque male perdant. adeo perverſum commentae genus impudicitiae, viros ineunt. Quid ergo mirandum eſt, maximum medicorum & naturae peritiſſimum in mendacio deprehendi, cum tot feminae podagricae calvaeque ſint? Beneficium ſexus ſuis vitiis perdiderunt, & quia feminam exuerunt, damnatae ſunt morbis virilibus. b. ut homines pingues & bene ſaginati hoc morbo maxime affligantur.

2. *Aetas, matura maior.* annis enim increſcentibus omnes univerſi corporis fibrae fibrillaeque, e quibus nulla non illius pars compoſita eſt, fiunt in ſe contractiores denſioreſque, unde liquida inibi plus reſiſtentiae inveniunt, facilius ſtagnant, & viſcidiora acrioraque evadunt; atque illorum partes excrementitiae exitu prohibentur. Puerorum, imo, infantium Podagroſorum, exempla qui deſiderat, adire poterit *I. I. Manget Biblioth. Medico-Pract. Tom.* 1. *p.* 180, 181. adeo, ut hic rurſus *Hippocrati* non ſit aſſentiendum, cum, *eiusd. ſect. aph. proximo*, ſcribit. Παῖς οὐ ποδαγρᾶ πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ.

3. *Aër coenoſus & iuſto ponderoſior.* hinc enim, teſte *Sanctor. de Med Stat. Sect.* 11. *aph.* 6, inviſibilis perſpiratio in ichorem convertitur; qui retentus & deinde non reſolutus, magna ex parte in cachexiam faceſſere ſolet. atque haec cauſa eſt, cur

cur Podagrici ruri, & in locis aëri libere perviis, melius ſe habeant, quam in urbibus, ubi aër, vaporibus, a variorum artificum officinis, & ſordium cloacis, exhalantibus, eſt repletus, & aedificiorum denſitate conſtipatus. ſic ſane refert *Nicephorus Calliſtus, libr.* XV. *cap.* 14, urbem Conſtantinopolitanam continuo incolentes Podagra ſaepiſſime divexari, & de Atthide canit *Lucret. de Rer. Nat. l.* VI. *v.* 1114.

Atthide tentantur greſſus, oculique in Achaeis
Finibus, inde aliis alius locus eſt inimicus
Partibus ac membris: varius concinnat id aër.

4. *Frigus*, quacunque de cauſa exortum. Frigore videlicet ſolida magis in ſeſe contrahuntur, rigeſcunt, ac condenſantur; & liquores plus minus coagulantur, qua utraque ratione perſpiratio imminuitur; obſtructio autem & infarctus admodum promoventur. Praeſertim vero nocet frigus, ubi partibus, quarum poros calor prius laxavit, ſubito ſupervenit. Hinc eſt, quod *vere* potiſſimum & *autumno*, quae duo anni tempeſtates, modo mitiſſimum amoenae aeſtatis calorem, modo acerrimum ferocientis hyemis frigus, circumferunt, Podagra graſſetur: Hinc etiam, quod perpetui Dianae Martiſque aſſeclae ut plurimum pedibus capti conſpiciantur, ubi ad ſenectutem pervenerunt.

5. *Ingenii acuti exercitia durissima & protracta, maxime nocturna.* Mente enim, in assidua rerum, intellectu difficilium, contemplatione, occupata, liquor nerveus in cerebro magis detinetur, & minus versus reliquas corporis partes profluit, unde fluida, imminuto motu, ad stagnationem, viscositatem & putredinem, disponuntur; solidae vero partes oppilantur; atque novae continuo resistentiae occasio praebetur. Praeterea, spiritibus parcius ad ventriculum fluentibus, laeditur concoctio, de qua mox videbimus. Noctu vero intensa adeo studia plus afferunt detrimenti, quia *duplo magis dormiens perspirat vigilante*, & quia *perspiratio, a somno facta, est coctorum perspirabilium, sine acrimonia & cum virium levamine*, cum illa vigilantium sit *crudorum, acris, violenta & cum labore.* notante *Sanctor. Sect.* IV. *aph.* 17 & 18.

II. *Concoctio laesa*, quacunque de causa. Probe novi perspirationis, & concoctionis, vitia, in hoc morbo producendo, nexu tam arcto esse colligata, ut alterum sine altero vix incedat, & difficillimum sit utriusque rationes dignoscere, & sub certa redigere capita: Nihilo tamen minus concoctionem laesam inter *causas* Podagrae *speciales* merito quoque seorsum recenseri existimo, quia, dum cibi non satis concoquuntur, chylum inde crudum, & particulis heterogeneis scatentem, sanguini affundi, atque adeo illius copiam & lentam

lentam craſſitiem augeri oportet. Caeterum confiteor ea, quae de *frigore*, & *ingenii acuti exercitus* tantum non adduximus, ratione per ſe probabili, partim huc etiam pertinere; atque illa, quae de *Venere* mox dicemus, ad perſpirationem imminutam commodiſſime itidem poſſe referri. Accuſantur autem ſub hoc capite, prae caeteris:

1. *Victus opiparus.* Sybaritici enim luxus homines, non quo naturae, paucis contentae, ſatisfaciant, ſed ad voluptates potius & delicias, comedere ſolent Hinc dapibus dapes addere, & ciborum varietate refractarium ſtomachum ad omnem exceſſum prolectare. Iam vero, a nimia ingeſtorum copia tonus & robur fibrarum carnearum ventriculi imminuitur, propter nimiam & diuturniorem illarum diſtenſionem, unde vires ſe rurſus debito more contrahendi, ſolitumque elaterem, amittunt; atque ita concoctioni rite peragendae ineptae redduntur. Inſuper, carnes ſalitas, fumo induratas, piſces ſalſos, putredine propemodum corruptos, & mille alia libidinantis gulae blandimenta avidis faucibus ingurgitant, quae, dum a ventriculo non ſatis concoqui poſſunt, chylum vitioſum ſanguini admiſcent.

2. *Potus generoſus & copioſus.* Sola *copia* peccant potulenta, quod ab eorum aqueis particulis, continuo per membranarum poros tranſſudantibus,

bus, fibrae, nimis humectatae, emolliantur; & ad debitam contractionem inhabiles evadant. *Generositas* potus noxia est, quia inde spiritus animales primum quidem vehementer in actum motumque cientur, deinde vero, perdito omni penitus vigore, fatiscentes, non satis ordinaria contractionum munia obeunt, unde minor motus, tum proprius, tum peristalticus, ventriculi; imo, torpor & languor totius corporis, consequitur. Ad haec, vina, quae bibimus, omnia, crystallos salinas, quas *tartarum* appellamus, & quae ipsam Podagrae materiam, iam perfectissime elaboratam, constituunt, intime sibi habent admixtas. *Alcohol* vero, seu *vinum adustum*, emissaria liquoris gastrici, ad concoctionem prorsus necessarii, styptici ad instar, obturat, & crassiora fluida corporis nostri coagulando, & fibrosa in duram, siccam, coalitionem contrahendo, minima vascula facillime obstruit. Conf. experimentum, quod exhibet, aevi sui Apollo, HERMANN. BOERHAVIVS, quem oracula edentem audivisse felicitati mihi duco non exiguae, *Elem. Chem. Tom.* II. *Part.* II. *Processß* 118.

3. *Venus praematura, nimis culta.* Coitu immoderato spiritus animales exhauriuntur, refrigeratur stomachus, & cruditates succedunt. vere igitur dixit *Sanctor. Sect.* VI. *aph.* 3. *Mala, a nimio coitu orta, mediate a prohibita perspiratione,* *im-*

immediate a laesis concoctricibus dependent. Sed ulterius almam Venerem criminari mihi non libet.

Quae bona per se sunt, nisi cum ratione fruaris,
Atque modum serves; vina venusque; nocent.

Et sane egregia etiam iustitiae laus est, temerarios, atque improbos plectere: id, quod de amoris dea constare poterit, praeter alios, ex *Sanctor. l. c. Th Barthol. Cent.* VI. *Hist.* 94. *Plin. Hist. Nat. l.* VII. *cap.* 53. *Val. Max. l* IX *cap.* 12. quibus addi meretur *Ian. Broekhus. ad Propert. l.* II. *Eleg.* 7. *v.* 98.

III. *Vrinae secretio & excretio, solito parcior.* & quid mirum? cum urina maximam cum seri materia convenientiam habeat. Etenim urinam naturaliter constituunt partes serosae, & ad nutritionem superfluae, quibus mixtae sunt nonnullae salinae, sulphureae & terrestres, ut, ex illius accurato examine, a *Bellino*, aliisque, facto, certum est. Praeterea, hinc apparet, quomodo *renum exilitas & flacciditas* arthritin Podagramve possit inferre, qualis est observatio *B. Timaei a Guldenklee l.* III. *cas.* 28. & quomodo Podagricus, de quo *Listerus Exerc. Med.* VI *p* 193. *Aegrot.* 2, videndus est, urina penitus suppressa, citra dolorem, & ne gutta quidem in vesica reperta

perta per tres integros dies, inde mortem oppetiverit: a nimia ſcilicet humorum copia ſuffocatus.

IV. *Lien exſuccus & flaccidus.* Quo huius rei ratio declaretur, de lienis officio nonnulla breviter monere operae erit pretium. Sanguis, caeterorum omnium in corpore animali liquidorum, fons & ſcaturigo, ex aorta per arteriam coeliacam ſiniſtram, in plures ſurculos diviſam, ac in exiliſſima capillamenta exeuntem, ad lienem porrigitur; atque inibi partim ſui, in innumeras cellulas cavernulasque, multiplici ultimarum arteriolarum implexu, formatas, effuſione; partim a lymphae, in glandulis lienaribus ſecretae, & forte etiam liquoris nervei, admixtione; partim a fibrarum carnearum contractione, & motu ac preſſione partium adiacentium, attenuatur; & hoc modo ad ulteriorem bilis in hepate elaborationem aptatus, verſus vas memoratum, per venam, rami ſplenici titulo inſignem, quae vaſa brevia, gaſtro-epiploicam ſiniſtram & gaſtricam, e ventriculo reduces, ſuſcipit, & in venam portarum excurrit, propagatur.

Iam vero, quando evenit, ut lien ob vitium aliquod dictas functiones non poſſit obire, inde 1. tollitur generatio bilis, atque adeo ultima ciborum coctio in inteſtinis, ad quam perpetrandam illius acceſſio prorſus eſt neceſſaria, turbatur atque

atque minuitur. 2. tota etiam ſanguinis maſſa fit longe ſeroſior. *V. Ioh. Bohn. Circ. Anat. Prog.* XVIII. *p* 258. *Ioh. Frid. Ortlob Hiſt. Part. Diſſert.* XVI. § 17. *Herm Boerhaave Inſt. Med. a pag.* 149. *de act. lienis. & Iaques - Benigne Winslow Expoſition de la ſtructure du corps humain. Tom.* III. *pag.* 406, *de l'edition d'Amſterdam.*

Obſervatio.

Dom. a Rapolſtein, in Alſatia degens, cum per multos annos Podagra dira vexatus eſſet, tandem ſupremum diem clauſit. A morte cum exenteratum fuiſſet corpus, condituraque mumiata curatum, lien inventus fuit plane exſuccus, & omni pulpa carens, marſupii in modum inanis, ſiniſtris hypochondriis affixus. *Iacob. Moccius apud Theoph. Bonet. Anatom. Pract. l.* IV. *Sect.* 8. *Obſerv.* 6.

V. *Haereditas.* Sic Phthiſicus etiam Phthiſicum gignere ſolet, & multi alii morbi a parentibus in liberos, haereditario quaſi iure, devolvuntur. Rationem in vi ſeminis formatrice, aut in ſanguine materno, latere exiſtimo, unde ſcilicet ſeminantis conſtitutioni compar partium conformatio germini impertitur, vel foetus, ſanguine Podagrico nutritus, maternae valetudinis labem contrahit. adde porro, quae ſupra in *cauſa ſpeciali* I. *No.* 1. dicta ſunt. Sed rogabit forſan non

nemo, qui fiat, ut character iste aliquando non in liberis, sed in nepotibus demum, evigilet, eosque avis reddat similes? Respondeo, 1. si a patre vitium pendeat, sanguinis, & uteri materni, optimam constitutionem hic plurimum posse iuvare; sic sane videmus quasdam plantas, ex agresti loco, in hortum translatas, felicius multo atque laetius assurgere, & conditionis omnino fieri melioris, quam antea fuerant. 2. Id, quod etiam in infectione materna locum habet, filius diaeta rite observata, paternae, maternaeve intemperantiae poenam, aut eorundem infelicitatem, saepius potest avertere, quam tamen nepos, corruptum vivendi modum sequutus, postea in se derivat. Imo vero haec gignentium naturae sigillatio non in morbis tantum haereditariis, sed & in aliis, non semper illico fit manifesta. Vt plura praeteream, exemplo esse poterit Helis mulier, quae cum Aethiope congressa, filiam peperit, non nigellam, forma Aethiopis, sed candidam, sed decoram, quaeque omnibus una omnes surriperet Veneres; attamen natus ex illa erat Aethiops, referente *Aristotele lib. 1. de generat. animal. cap. 18.*

VI. *Contagium.* quomodo hoc accidat, melius percipietur, si consideremus, quod pori corporis nostri non solum exitum, verum etiam introitum subtilioribus corporibus concedant. Prius ex sudoribus

doribus & Sanctoriana perspiratione certum est; posterius externa medicaminum applicatio, v. gr. salivatio, per Mercurium, extus adhibitum, instituta, evincit. Facti autem veritas e fide dignorum medicorum observationibus constat. Rariora sunt, quae de Podagrae per tibialia & crepidas hominum, hoc morbo afflictorum, cum sanis communicatione narrat *Ioh. Helwigius apud Theoph. Bonet. Med. Septentr. Collatit. Part.* II. *libr.* VI. *Sect.* 3. *Obs.* 23. Crebrius evenit, ut feminae, quae ante nuptias semper immunes a Podagra vixerant, neque ex haereditate sibi quicquam ab hoc malo poterant metuere, viris Podagricis sociatae, tractu temporis & ipsae Podagricae fiant. nec mirum 1. Molliuscula, & rarioris texturae, femellarum corpora, dum in eodem cum viris lecto concumbunt, una cum eorum effluviis, vitiatam quoque indolem, morbique materiam, laxis suis poris, imbibunt atque absorbent 2. huc conferunt salivae per oscula blandiora commixtio, officium mutuum, & depravata victus ratio, cum marito fere eadem.

Atque haec de *caussis specialibus*, seu modis, quibus serum, ad Podagram excitandam, idoneum redditur, sufficere videntur.

Etiamsi vero de caeterorum quoque humani corporis liquidorum ad eundem effectum aptitu-

dine & concurſu unum quemque ex illis, quae hactenus differuimus, perſuaſiſſimum eſſe poſſe, nullus dubitem, libet tamen, antequam ad alia digredior, ſpeciatim iſtud, reſpectu bilis, coronidis quaſi loco, fuſius explicare.

Factum demonſtrant 1. Vrina bilioſa, obſervante *Liſtero Exerc.-Med.* VI. *Aegrot.* 5, 7, *&* 8. 2. Color tophorum ad flavedinem vergens. de quo videri poteſt *C. Piſo Sel. Obſ. & Conſ. Sect.* V. *Cap.* 2. *Obſ.* 135, 136. 3. quod Icterus Podagrae non nunquam ſuperveniat, uti ex *Obſ. B. T. van Guldenklee*, ſuperius iam citata, apparet. Quandoquidem autem in poſterum etiam nobis uſui veniet, ipſa auctoris verba nunc ſubiungo.

Obſervatio.

Illuſtris & Excellentiſſimus dominus, Steno Bielke, &c. &c. doloribus arthriticis diu multumque affectus, in Icteritiam incidit; ——— ſupervenit tandem & Hydrops aſcites &c.

In apertione cadaveris, quam ibidem laudatus *Timaeus* exhibet, in primis attendi velim, 1. ad calculum ingentem in veſicula fellea repertum. 2 ad croceum hepatis colorem. 3. ad maculas liveſcentes, & nigras, in inteſtinorum tunicis obvias. & tandem 4. Renes flaccidos, & nucis iuglandis

glandis magnitudinem vix aequantes, comparuisse.

Rationem quod attinet, illam huiusmodi esse coniicio: Bilis, seu liquor iste flavus & amaricans, plurimis particulis oleosis, viscidis, & salinis, foetus, qui a sanguine, per venam portarum, a liene, refluo, in hepatis acinulis secernitur, ad vitae animalis oeconomiam omnino necessarius, naturam principis illius liquoris sequi nunquam non cogitur, atque adeo a copiosiore, viscidiore, & acrimonia nimia praedito, iusto etiam copiosior, viscidior, acriorque, prodit. Iam vero, bilis ita constituta, primo in vasis suis solet stagnare, ac putredinem, & maiorem acrimoniam, contrahere; deinde sese vehementius expandere, versus duodenum erumpere, & sic per vasa lactea in sanguinem regurgitare, seroque misceri; unde hoc rursus in principio aliquatenus coagulatur & crassescit, mox autem in actum motumque deducitur, & denique in vasculis, ab universali motore, corde, remotissimis, bili commixtum haeret, & easdem porro tragoedias agit, quas in *causa generali & proxima* commemoravi. Interea, cum, ab eadem bili, sanguine primum coagulato, frigus, horror, rigor, & tremor; postea vero, eodem motu intestino, vehementius agitato, calor & pulsus velox producatur, Podagricos *febricitare* necesse est.

 Hanc

Hanc autem, qua pollet bilis, Podagrae producendae facultatem, solenni denominationi *Podagrae calidae*, respectu causae, ita dictae, occasionem potissimum dedisse autumo.

Inflammatio pedum, quam huic morbo saepius supervenire videmus, huiusmodi obtinet natales: Vascula materiae vitiosae infarctu oppleta, accedentibus novis continuo a tergo copiis, & omni exitu penitus intercluso, eatenus crassitudine extenduntur & tumescunt, ut decuplo, vigecuplo, imo, trigecuplo maiorem amplitudinem nanciscantur, unde arteriolae, antea vix unam globulorum sanguineorum seriem vehentes, nunc 10, 20, 30 tales series admittunt, atque hoc pacto parti affectae non tantum *tumor*, *tensio*, & *durities*, sed etiam *rubor*, inducitur; quibus omnibus *pulsatio* accedit, dum singulis cordis pulsibus arteriae illae solito magis dilatantur. Porro, ab hac valida pulsatione, ut & pressione ac distensione a vasculis sanguiferis, ubique sic extensis, in tubulis nerveis, tam qui in membranis, quam qui in ipsis arteriarum tunicis adsunt, validissimus quoque motus regurgitatorius excitatur, unde *dolor* vehemens. A copia etiam sanguinis tam prodigiosa in tali parte, & vehementi agitatione ob pulsum tantum, unde ipsa lucis materia ex involucris suis extricatur, *calor* hic etiam, & *aestus*, extraordinarius, sentiuntur.

Quae

Quae omnia si quis iunctim Podagrae applicuerit; non solum *inflammationis*, verum etiam *febris*, rationem, ab illa, quam mox a bilis admixtione derivavimus, diversam, clarissime perspiciet; ob quod originis discrimen haec etiam *inflammatoria*, illa *putrida*, *febris* vocari consuevit.

Inflammationem autem, vel *resolutione terminari*, vel in *abscessum transire*, vel denique *gangraenam sphacelumve post se trahere*, in vulgus notum est.

Transgressione igitur hinc facta, in *cretae* ac *tophorum Podagricorum* genesin, & indolem, nobis restat inquirere. Quem in finem non nulla ex superioribus in memoriam reducamus, oportet.

Quippe, in analysi seri, vidimus, illud, in statu suo naturali, non tantum ex aqueis, verum etiam ex gelatinosis, oleosis & salinis, particulis esse compositum; Praeterea, ex certis principiis demonstravimus, idem illud serum, quacunque de causa, corruptum, multo crassius, viscidius, & plurimis particulis heterogeneis, caeteroquin extra corpus eliminandis, foetum, evadere, & tali constitutione praeditum, vel solum, vel bili sociatum, versus Podagricorum pedes deferri, ibidem haerere: &, novo indies fomite adauctum, partes mirum in modum distendere, ac consequenter illarum poros longe ampliores efficere.

Iam

Iam vero, quis adeo talpa eſt, quin aqueas particulas, ob exilitatem ſuam ad exeundum aptiſſimas, qua data porta, abire, & caeteras craſſiores deſtituere, & quaſi in ſicco derelinquere, non perſpiciat? Porro, hae reſiduae, tum ratione glutinoſae, ac tenacis, ſuae ſubſtantiae, qua nullo negotio cohaerent, tum etiam partium calore, dicam, an frigore? magis ac magis inter ſe colligantur, concreſcunt, & in ſolidum quoddam, ac durum corpus compinguntur, atque ita materiam, veluti cretaceam, ac calculoſam, efformant, quae, dum ipſis ductibus oſſium excretoriis inſinuatur, oſſa corrodit, eorumque excreſcentias, ſeu *tophos*, generat, qui, ubi rotundi fuerint, *nodi;* ubi vero acuminati, *cornua*, appellantur, & tandem rupti dictos calculos eiiciunt. Chymicam eiusmodi calcis reſolutionem exhibet *Theod. Kerckringius Spicileg. Anat. Obſ.* 28. Verba illius, quae praeſertim ad rem faciunt, ita ſe habent: *Calci ſimilis materia undique effluebat; ſputa, quae creberrima eiiciebat, dum ſiccabantur, eandem calcis acquirebant conſiſtentiam. Inceſſit me curioſitas per artem chymicam, cui per id tempus totum me dabam, examinandi haec excrementa Podagrica. Ingentem igitur ſputorum, ad tartari conſiſtentiam concretorum, copiam colligendam curavi, eaque ſecundum artis illius dictamina, in elementa ſua reſolventi primum dederunt ſpiritum quendam inter ſpiritum tartari & ſalis armoniaci quodammodo medium,*

dium, acidiorem nimirum illo, hoc mitiorem. Oleum ab oleo tartari vix poterat distingui, tam exacte illud colore, foetore & consistentia referebat; nec sal, ex capite mortuo extractus, longe ab eodem sale tartari abludebat, nisi quod, sapore quodam extraneo infectus, ingratam stomacho pariebat nauseam. Imo, non nunquam adeo foecunda & dives est haec tartari in Podagricis minera, ut non in pedibus tantum, sed in aliis etiam partibus calculi reperiantur. Ita in corde Imperatoris Maximiliani secundi, qui Podagra laboraverat, inventos esse lapides refert *Schneiderus* apud *Bonet. Anat. Pract. lib.* IV. *Sect.* VIII. *Obs.* 3, *in Scholio.* In vesica fellea viri, qui diu multumque arthritide divexatus, in icterum inciderat, & tandem ex hydrope diem obierat supremum, satis grandem calculum, anatomica sectione detexit *B. T. van Guldenklee l. supra c.* Arthritidis, doloris nephritici, &, demum, calculi vesicae, eadem de causa, sibi invicem succedentium exemplum extat apud *Ioh. Raym Fortem Cons. & Resp Med. Tom.* II. *Cent.* 3. & Canonici cuiusdam Herbipolensis ventriculum & intestina, tartaro obducta vidisse se narrat *B. Schefferus apud I. Pechlin. Obs.* 27. *l.* II.

PROGNOSIN daturo, confestim illorum occurrit opinio, qui omnem omnino Podagram insanabilem pronuntiant, iudicio, ut mihi quidem

videtur, nimium crudo, atque praecipiti, cum contrarium exempla ſanationum, apud medicos obvia, confirment. Morbum certe recentem perſanari poſſe ipſi agnoverunt veteres. *Hippocrat.* Προῤῥητικ. *Lib.* II. § 15. ὅςις δὲ νέος ἐςὶ, καὶ ἀμφὶ τοῖσιν ἄρθροισιν οὔπω ἐπιπωρώματα ἔχει, καὶ τὸν τρόπον ἐςὶ ἐπιμελής τε καὶ φιλόπονος, καὶ κοιλίας ἀγαθὰς ἔχων ὑπακούειν πρὸς τὰ ἐπιτηδεύματα, οὗτος δὴ, ἰητροῦ γνώμην ἔχοντος ἐπιτυχὼν, ὑγιὴς ἄν γένοιτο. & *Celſus de Med. l* II. *cap* 8. *Articulorum vero vitia, ut Podagrae chiragraeque, ſi iuvenes tentarunt, neque callos induxerunt, ſolvi poſſunt.* Imo, quod longe ulterius procedit & ab *Hippocrate*, *l. c.*, negatur, ipſos aliquando ſenes, atque eos, quorum pedes tophi iam obſederant, a Podagra prorſus convaluiſſe obſervaverunt *Ioh. Loſel. de Podagra p.* 138. & *Adr. Spigel. de Arthrit. p.* 81. Interea certum, eſt curationem ſemper eſſe difficilem, & rarius etiam peragi, ob cauſas ſequentes. 1. Quod, notante *Mayernio*, *medicorum plerique famae conſequendae potiores partes habeant, quam aegrotorum, ſibi commiſſorum, ſalutis: atque compeſcendis eiulatibus intentos de valetudine integra reſtituenda ne cogitatio quidem ſubeat.* alterum eſt, quod multi Podagrici veram morbi cauſam non ſoleant afferre, dum alius longam ambulationem; proculcationem alius; non nemo etiam nimiam novorum calceorum preſſionem, quale exemplum, interpoſito iure iurando

do confirmatum exhibet *I Pechlin. Obs.* 24. *l.* 11. *p.* 266. alius denique aliam, morbo πρόφασιν praetexunt. apposite loquitur *Seneca Ep.* 53. *Pedes dolent, articuli punctiunculas sentiunt adhuc dissimulamus, & aut talum extorsisse nos dicimus, aut in exercitatione aliqua laborasse; dubio & incipiente morbo quaeritur nomen: qui talaria coepit intendere & utrosque pedes dextros fecit, necesse est Podagram fateri.* Accedit, quod illi, quos paroxysmus semel reliquit, libertate hac sua ut plurimum abutantur, dum, veluti ex orci faucibus erepti, prae gaudio modum non servant, sed tanquam mortem brevi rursus subituri, praesenti vita licentiose fruuntur; quodque, dum morbo excruciati remediorum assumtorum vim non ilico praesentem sentiunt, illorum continuationem impatientissimi refugiant, & ordinariae diaetae qualescunque delitias dirissimis etiam suppliciis redimere praeoptent. Omnium difficillime, si modo unquam, sanatur Podagra *haereditaria;* hanc difficilis medicationis gradu proxime subsequitur *nodosa*, atque *inveterata*, in illis praecipue, qui vitam infirmam, calamitatibus infestam, nec debitae diaetae observandae accommodam agunt, & alvo sicca, adstrictaque laborant *Hippocrat. l. c. River. Prax. Med. l.* XVI *cap.* 1. *Nodos* ipsos, sive *tophos*, quod spectat, ubi grandiores fuerint, & profunde iaceant, laboris plena illorum est curatio, & si forte penitus ope chirurgiae tollan-

tur, non multum inde redit emolumenti; nam ossium cariosorum, e quibus eliquantur, nulla restitutio est; siquidem, quod semel periit ex organica partium constitutione, a natura nunquam reficiatur. *M. Lister libr. saepius cit. p.* 105. Vbi contingit, ut natura materiae morbificae, intus coacervatae, expellendae sit impar, vel, ut eadem remediis incaute adhibitis a corporis peripheria versus eius centrum moveatur, morbi inde lethales enascuntur, ut *febres* acutissimae, *viscerum inflammationes*, *apoplexiae*, *convulsiones*, *peripneumoniae*, *hydropes*, *icteri*, aliique gravissimi affectus *River. & Guldenklee ll. cc. & H. Boerhaave Aphor. de Cogn. & Cur. Morb.* § 1273.

Dysenteriae & *Diarrhoeae* Podagrae supervenientes illam solvunt. *Hippocrat. & River. ll. cc.*

Reliquum, Podagra raro est periculosa, & longaevitatem nonnullis conciliat, ex eo, quod natura humores vitiosos, ex quibus alii morbi periculosiores generari poterant, ad articulos per certa intervalla propellat, & sic partes nobiliores a prava alluvie liberet.

CVRATIONIS in hoc morbo duplex est respectus: Alia enim in ipso paroxysmo; alia extra illum, praeservationis gratia, locum habet.

In

In Podagra, iam praesenti, ſananda ad ſequentia potiſſimum attendendum eſt:

1. Vt materia ipſo iam actu affligens ſubmoveatur.

2. Vt dolor mitigetur.

3. Vt novi fomitis vitioſi generatio impediatur.

quibus in Podagra nodoſa addi debet

4. Vt tophi tollantur, & articuli roborentur.

Ad primam vero indicationem a practicis probatiſſimis commendantur.

I. *Venae ſectio*: ut liquidi peccantis copia & preſſio minuantur. In varias ſententias hic abeunt auctores. *Sydenham. Tract. de Podagra p. m.* 560. illam plane damnat, niſi aeger fuerit iuvenis, & ab immodica potatione excalefactus, atque tunc in initio paroxysmi vena tundatur. *Si enim*, inquit, *in intermiſſione, quantumlibet diu poſt paroxysmum ſanguis fuerit detractus, metus eſt ne novus & acerbior paroxysmus ſuccreſcat, ſanguinis robore & vigore, quibus adiutoribus morbi fomitem ſtrenue ac conſtanter excutere debuerat, exinde retuſis. Si mox a paroxysmo feriatur vena, ingens periculum eſt, ne natura, dum ſanguis adhuc*

 huc

huc languidior est, & noudum pristinas vires, a morbo succisas, redintegraverit, eiusmodi vulnere, importune inflicto, usque adeo infirmetur & succumbat, ut hydropi aditus aperiatur. In contraria omnia secedunt *C. Piso p.* 397, 398. *M. Lister p.* 209, 210. *Th. Zuinger Theatr. Prax. Med. p.* 87. & alii quam plurimi. Imo prorsus necessariam in Podagra esse phlebotomen, & sine illius & purgationis ope vix unquam curationem succedere auctor est *G. W. Wedel. in Amoen. Mat. Med. p.* 208. His moderatius, &, meo quidem arbitrio, multo melius est *Willisii* effatum, *de Anim. Brutor. Part.* II. *cap.* 14. *Phlebotomia in arthritide recenti, aut non multum inveterata, & praesertim in constitutione calidiori, circa morbi initium saepe iuvamen confert; verum in morbo habituali, nec non temperamento frigido, aut aetate senili plus obesse, quam prodesse solet. Cl.* etiam *Dekkerus*, vir in medicina facienda nulli secundus, in arthritide calida, in ipso paroxysmo, venam secari praecipit, *Prax. Med. MS. Sect Vlt. cap.* I. Ego V. S. ut plurimum in hoc morbo cum utilitate institui existimo, sed semper ad aegri conditionem esse respiciendum, atque, ubi consuetae haemorrhoides, aut menses suppressi, vel pedes inflammati, fuerint, illam tuto nunquam posse praetermitti. Et sane ratiocinatio *Sydenhami* non adeo indubia est, ut innumeris medicorum experientiis sit anteferenda. Quod enim

enim secta vena *sanguinis robur & vigorem* dispe- rire ait, id tantum a veritate abludit, ut contrarium omnino certum sit. Robur quippe sanguinis nullum est, nisi vim illam, seu motum, quem alternis cordis & arteriarum contractionibus acquirit, ita quis velit nominare; Vigor autem illius, in agilitate seu ad motum aptitudine solummodo consistit. Iam vero certissimum est, venae sectione copiam humorum arteriosorum & venosorum minui, atque adeo resistentiam movendorum fieri minorem, unde cordi & vasis sanguiferis contractionis exercitium liberius, aut, quod idem est, debitum sanguini *robur*, ut cum *Sydenhamo* loquar, reconciliatur. Dein, sanguinis nimii aut viscidioris extractione reliqua massa, particularum aërearum auxilio, sese expandit, rarescit, solvitur, fluxilior & ad motum magis evadit idonea; quam huius liquoris facultatem *vigoris* titulo appellare eidem auctori placuit. Circulatione autem & intestino sanguinis motu hac ratione restitutis obstructiones iam factae expediuntur; secretionum & excretionum munia promoventur, ac consequenter novis etiam obstructionibus occasio praeciditur. Quae porro de periculo V. S. statim post paroxysmi solutionem factae subiungit, vix responsione indigent. 1. enim inconcussa medicinae lex est, missionem sanguinis intra terminum, quo vires necessariae non minuuntur, esse in-

stitu-

ſtituendam; quis igitur medicum adeo crudelem crediderit atque ſanguinis avidum, ut illius extractionem in homine, e morbo diuturno, collapſis viribus, convaleſcente, temerario auſu, iniungat, cum, ipſo *Sydenhamo* teſte, paroxysmo diſcuſſo, aegri tum εὐεξία, tum appetitus redeant? Verum aliud datur tempus, extra paroxysmum, quo ſummo cum fructu a practicis praeſcribitur, vernum nimirum & autumnale, aliquamdiu ante paroxysmi reditum, qui ſemper hoc remedio plurimum levatur; quandoque etiam penitus avertitur, ratione, ex ante dictis, probabili. 2. egregie falſum eſt, quod V. S. Podagricis a morbo adhuc languentibus adminiſtrata, hydropi aditus aperiatur, cum conſtet cauſam morbi illius proximam eſſe lymphae aut ſeri dilutioris tranſſudationem ex poris vaſorum ſanguiferorum, nimis diſtentorum, partim, nimia ſanguinis preſſione, partim, nimia pororum dilatatione, erumpentis; atque adeo vaſa plenitudine turgida, non vero, ſanguinis extractione depleta, in hydrope accuſanda veniant. Caeterum, *venae ſectionis vicariae poſſunt eſſe cucurbitulae, quae incipientibus doloribus parti ſanae, oppoſitae, vel diſtanti, affigantur cum ſcarificatione. Hirudines etiam in aſſuetis haemorrhoidibus appoſitae, ſanguinem exhauriendo commodum aliquod afferunt. D. Sennertus, de Arthrit. cap. 5.*

II. *Vo-*

II. *Vomitoria.* hic rurſus, quemadmodum poſthac etiam de uſu purgantium, magno conatu, neſcio quae non mala praeſagit *Sydenhamus.* Sed iterum illius in differendo ambagibus obviam ire non placet; ſuffecerit a *Sennerto*, *Viſone*, *Riverio*, *Liſtero* & omnibus fere practicis, emetica collaudari, ſi aeger non admodum difficulter vomat; iſto conſilio, ut ſaburrae crudae, novas Podagrae copias mox ſuppeditaturae, e primis viis eliminentur. Faciliora ſunt quae ex *Oxymelite Scillitico; Pulvere Rad. Hypoacannae; Infuſione Croci metallorum* & ſimilibus, parantur. Poſt vomitum vero parum aut nihil comedat aeger, & capiat *Laud. Opiat. gr. ij.* ex *Confect. Alkermes* ʒj. Aut *Theriac. Andromach.* ʒj; & die ſequente una alterave ante paſtum hora *ſtomachicum* aliquod *moderatum & amaricans*, ut primo quidem humorum ἀταξία a vomitu illata tollatur, atque coctio ventriculi deinceps adiuvetur.

III. *Purgantia.* quorum ope peccans materia per alvi cloacam excernatur; quaeque adeo eadem fere praeſtant cum illis, quae de diarrhoea & dyſenteria, in *prognoſi*, vidimus, quippe quoniam purgatio nihil aliud eſt, quam diarrhoea arte facta. Praecipue huc faciunt remedia ex *Hydragogis* ſeu ſero evacuando accommodis, & *Cholagogis*, quae bilem educunt, concinnata. Inter iſta autem, quaſi ſpecifica, commendan-

 tur

tur *electuarium caryocostinum Petri Bayri*, cuius usu se Podagra saepius affligi solitum, viginti quinque, & plures, annos fuisse praeservatum, praedicat *l.* 1. *Pract. distinct.* XIX. *Tractat.* 1, ubi descriptio videri potest, quam in *Pharmacopoeam* suam *Vniversalem* quoque intulit *Nicol. Lemery p.* 700. *Ed. Paris.* & pilulae *I. Cratonis*, quas describit *Consil. Medic. l.* 11. *Cons.* 25. *p.* 186. hunc in modum:

℞. *Therebinth. Cypr.* ℥ß.
Coq. in *aq. malv.* donec albescat; huic adde
Rhabarb. pulveris. ʒiij.
Pulv. Ivae Arthet.
Succin. alb. ana ʒj.
Succ. Liquirit. ℈j.
M. F. Pilulae mediocres, *pulv. Cinnamom.* involvendae.

Ex his capiantur 15, horis duabus ante prandium. Post deglutitas autem pilulas *serum* bibat *caprinum*, in quo decocta sit *betonica*, ac superingerat *sacchari rosacei* tantum, quantum cochleari capitur.

Mercurii dulcis, aliis purgantibus mixti, summa quoque in hoc affectu laudatur virtus. v. gr:

℞. *Scam-*

℞. *Scammon. Opt. gr. xiv.*
Mercur. dulc.
Cinnab. nativ.
Antimon. Diaph. ana gr. xij.
Syrup. Cichor. cum Rheo. Q. S.
M. F. Bolus; mane ſumendus.

Veſperi eiusdem diei conducit aliquod *Opiatum*, ſuperbibendo magnam *ſeri lactis* calidi copiam. Purgantium, ore receptorum, loco, quandoque etiam iniici poterunt *clysmata* emollientia & carminantia, quae tamen multo minori virtute pollent, cum non longe poſſint protendi, atque ſtomacho & tenuibus inteſtinis vix ullam contractionem inducant.

IV. *Sudorifera*, quae poros aperiunt & noxia per cutem expellunt. Atque haec eo quidem plus emolumenti afferunt, quod Podagra, quaecunque etiam cauſa illi praeceſſerit, tranſpirationem imminutam ſemper habeat comitem. Talia ſunt *Rad. Chinae*, *Contraiervae*, *Salſaparillae. Lign. Guaiacum*, eiusque *cortex*, *Saſſaphras. Crocus. Lap. Bezoar Orientalis. Cornu Cervi philoſophice praeparatum*, vel, *uſtum. Aq. Card. Benedicti*, *Fl. Sambuci*, *Lign. Saſſafras*, *Theriacalis. Sp. Sal. Ammoniaci*, *C. Cervi. Sal. Volatile C. Cervi*, *oleoſum. Salia alcalia fixa* pleraque omnia. *Antimon. Diaphoreticum. Diaſcordium Fracaſto-*

rii, vel, *Sylvii. Theriaca Andromachi. Syrupus Cardui Benedicti, Papaveris Erratici. Rob. Sambuci.* &c.

Formulas, quae admodum diverſae praeſcribi poſſunt, his ſubtexere non libet. notandum ſolummodo eſt *ſalia alcalia fixa*, ex herbarum nominatarum cineribus facta, v: g: *Sal. Abſynthii, Card. Benedicti, Rorismarini* &c. omni bihorio ad *gr. iij.* vel *iv.* in mica panis albi, vel iusculi tantillo, ſumta, effectus plerumque ſortiri prorſus admirabiles. *Antimonii* quoque *diaphoretici*, non abluti, *gr. vj.* compari poteſtate pollent.

V. *Diuretica*, quae vitioſum laticem per renes exterminant. Ita refert *Petr. Foreſt. l.* XXIX. *Obſ.* 27. Virum quendam articulorum doloribus tantopere correptum, ut nulla membra movere poſſet, uſu cerevifiae, cui radix *Lappae maioris*, ſeu, *Bardanae*, erat incocta, poſtquam inde plurimum lotii, inſtar lactis, albi minxiſſet, prorſus fuiſſe ſanatum, aliis omnibus fruſtra propinatis. Praecipua ſunt *Rad. Apii*, *Bardanae*, *Petroſelini. Herb. Heder. Terreſtris. Flor. Geniſtae. Baccae Iuniperi. Rob.* eiusdem &c. &c. quae *ſudoriferis* iuncta vel etiam ſeorſum, prout cuivis viſum fuerit, poſſunt in uſum vocari. Sequens eſt praeſcriptio ingentis *Boerhavii.*

℞. Ciner.

℞. *Ciner. Genist.* ℥ *j.*
Vini Rhenan. ℔ *i* ß.
M.
Bibat aeger omni mane depurati liquoris ℥ ß.

Secundae indicationi, leniendo dolori, conveniunt

I. *Anodyna & Narcotica.* Hinc ſane violenta vaſculorum in articulis conſtrictio imminuitur, motus liquoris nervei, e parte affecta, verſus cerebrum, fit minor, atque adeo doloris ſenſus levatur; Certum enim eſt, materiam vitioſam, quo magis in anguſto premitur, eo triſtiores excitare tragoedias, & contra, quo amplius obtinet ſpatium, eo mitius agere; praeterquam quod oblinito dolore febres decrementum quoque capiant. Huic fini interne inſerviunt *Opium. Laudanum Opiatum. Pilulae de Cynogloſsa. Theriaca Andromachi* & ſimilia. Si vero alicui animus ſit, una, quod aiunt, fidelia duos dealbare parietes, ſudores ſcilicet & quietem ſimul parare, huiusmodi optime adhibebit formulas.

℞. *Opii puriſs. gr. j.*
Caſtor. opt. gr. vj.
Sal. vol. ſuccin gr. iv.
Croci orient. ℈ ß.
Antimon. Diaphor. gr. xv.

M. F. Pulvis Subtilissimus, pro dosi.

vel

℞. *Theriac. Andromach.* ℥iß.
Antimon. Diaphor.
Sal. vol. C. C.
Cinnab. nativ. ana ℈ß.
Tinctur. Opii gtt. x.

M. F. Bolus. qualem Cl. Dekkerus summo cum fructu saepissime se praescripsisse refert in *Prax. MS.*

His autem superbibendum est decoctionis sudoriferae tantillum, vel serum lactis calefactum ad ℔ *j.*

Externe commendantur *Fotus*, *Cataplasmata*, *Linimenta*, *Emplastra*, & alia topica, quorum apud auctores tanta farrago reperitur, ut vel omnia solummodo indicare, res esset laboris ac taedii plenissima. Ne tamen in hac parte nimis parcus videar, cuiusque formae unicum addam exemplum, reliqua, quae mihi maxime arrident, saltem veluti digito monstraturus.

Fotus Dekkeri in Praxi MS.

℞. *Aq. Flor. Sambuc.* ℥*vj.*
Sp. Vin. Camphor.
Aq. Theriac. simpl. ana ℥*j.*

Tinct.

Tinct. Vol. Opii. ʒ *ij.*

M. F. Fotus; ter de die, linteis calidis, applicandus.

Cataplasma H. N. Grimmii Compend. Medico-Chym. l. v. *c.* 6. *Obs.* 4.

℞. *Medull. panis triticei* ℔ *j.* coq. in *lacte Vaccino* & adde
Sapon. Hispan. ℥ *ij.*
Croc. Orient. ʒ *ij.*
Sal. Ammoniac. ʒ *iij.*
M. F. Cataplasma.

Linimentum T. Mayernii in Tractatu de Arthritide.

℞. *Ol. Cheirin.* ℔ *j.*
Sal. Marin. decrepitati, diſſoluti & in alcohol redacti ſuper porphyrite.
Sapon. Venet. alb. ana ℥ *iv.*
M. F. inſtar nutriti.

Eo veſperi inungendi articuli; poſt inducantur tibialia lanea, in lecti introitu.

Emplaſtrum laudati *Grimmii libr. cit. obſ.* 3.

℞. *Cerae Citrin.* ℥ *iij.*
Gumm. Ammoniac. ℥ *i* ß.

SA-

Sapon. Hispan. ℥j.
Sulph. Citrin. in *ol. lini* dissol. ℥β.
Sal. Ammoniac.
Tartari ad nigredinem calcinat. ana ʒβ.
Opii ʒij.
M. F. Emplastrum.

Fotuum aliae praescriptiones insignes videri possunt apud *Quercetanum in Consil. de Arthrit. p.* 314; *Losel. de Podagra p.* 230, 232, *& seqq. Grimmium libr. cit. obs.* 2. & *Th. Willis de Anim. Brut. Part.* II. *cap.* 14. Cataplasmatibus addi merentur e *stercore vaccino recenti* confectum; *Dekkerianum in praxi MS*; Illud quod exhibet *S. Pauli Quadripart. Botan. Class.* III. *Tit. Bonus Henricus*; & *Grimmianum alterum*, *obs.* I. Linimenta itidem egregia concinnantur ex *Oleo Castorei composito*, & *nervino*, secundum descriptionem *Pharmacopoeae Leovardiensis.* Emplastris adde *Tachenianum*, ab auctore descriptum in libello *de Morb. Principe; viride Gliconis*, quod extat apud *Scribon. Larg de Compos. Med*; *Isbr. Diemerbroeck, Obs & Cur. Med. Obs.* 92; *de Sapone Leovard.*, atque illa, quae, usibus Caroli Quinti, Imperatoris; Iacobi Primi magnae Britanniae Regis, & Ducis cuiusdam Wurtenbergici, nobilitata, afferuntur a laudato *Loselio p.* 241, 242, 243. *Suffumigium* si cui placuerit, adeat *M Maier. Civit. Corp. Hum. cap.* IX. *p.* 149. ubi haud con-

contemnendum illius praescriptum, nec non observandi regiminis rationem inveniet.

II *Vesicatoria*, & *Caustica* medicamenta, quae cutem exedendo humores vitiosos ex articulis educunt; quaeque hoc modo non tantum dolorem lenire, verum morbum haud raro penitus etiam exstirpare perhibentur a *Pisone*, *Platero*, *Riverio*, aliis. Prae caeteris vero ad hunc usum superiori saeculo celebratissima fuit *Moxa Indorum;* quae Europaeis demum innotescere coepit anno 1674, edito, ab *Herm. Buschofio*, V. D. apud Batavienses in India, ministro, lingua Belgica, libello, *de Podagra per Moxam curanda*, atque ipsa quoque herba ad *Ioannem Buschofium*, fratrem suum, Vltraiectum, transmissa; a quo magno aere divendita, plurimorum medicorum curiositatem exercuit, tali fere successu, ut in illis, qui Podagra frigida laborabant, votis ut plurimum respondere; in aliis vero expectationem non raro fallere, & vix ultra solennem Vesicatoriorum efficaciam procedere comperiretur. Eo usque postea etiam penetravit *Ioh. Hartm. Kornmanni*, *Consil. & Archiatri Hassiaci*, industria, ut microscopiis armato oculo detexerit, Moxam, cuius ℥j tribus quatuorque imperialibus tunc temporis emebatur, nihil esse, nisi artemisiae, ubivis obviae, lanuginem. Consuli merentur *Seb Scheffer. I. S. Elsholt. Ol. Borrich.* &c. apud *Bonet.*

Med. Septentr. Collatit. l. VI. *sect.* 5. Caeterum ista dolores curandi methodus, per inustionem actualem, antiquissimis temporibus iam frequenter fuit usitata; Ita ab ipso *Hippocrate* praeceptum legimus *libr.* περὶ πάθων § 32, ubi de Podagra agit: ἢν δὲ τοῖσι δακτύλοισιν ἡ ὀδύνη ἐγκαταλείπηται, καῦσαι τὰς φλέβας τοῦ δακτύλου ὕπερ τοῦ κονδύλου ὀλίγον. καίειν δὲ ὠμολίνῳ, & de Libyae incolis sequentia refert *Herodot. l.* IV. *c.* 187: τῶν παιδίων, τῶν σφετέρων, ἐπεὰν τετραετὲς γένηται, οἴσπῃ προβάτων καίουσι τὰς ἐν τῇσι κορυφῇσι φλέβας &c. quo in loco οἴσπῃ, vel ut ante editionem *Iac. Gronovii* legebatur, οἰσύπῃ, male de stercore explicatur, ab *Hieron. Mercurial. Var. Lect. l.* II. *cap.* 2. quem etiam viri doctissimi errorem iam ante me observasse video *I. Pechlin. Obs. l.* II. *Obs.* 24. *p.* 266. Morem porro lana succida inurendi quam accuratissime persecuti sunt *Prosp. Martian. Notat. ad Hippocrat. de Affection. sect.* II. *vers.* 25. *p.* 170. *Prosp. Alpin. de Medic. Aegypt. l.* III. *cap.* 12. *Th. Barthol. de latere Christi aperto*, *p.* 98. & *Claud. Salmas. in libello de cruce*, illi opposito.

Tertiae indicationi, qua novo morbosi fomitis incremento cavetur, prospiciunt

Stomachica moderata & amaricantia, atque illa, quae liquoris nervei vigorem, & influx-

um

um promovent, unde tum obstructionum occasio, aucta contractione per corpus universum, praeciditur; tum etiam suis ventriculo viribus, quibus ad concoctionem indiget, restitutis, motus illius peristalticus & contractio propria restaurantur, & hac ratione cruditates, inibi haerentes, si non nimis viscidae fuerint, expelluntur; chylus probe coctus sanguini affunditur, atque adeo omnium humorum εὐεξία reducitur. Horum praecipua sunt *Rad. Angelicae*, *Aristolochiae rotundae*, *Calami aromatici*, *Galangae*, *Helenii*, *Zingiberis*. *Herb. Absynthii*, *Betonicae*, *Calaminthae*, *Card. Benedicti*, *Chamaedryos*, *Chamaepityos*, *Majoranae*, *Melissae*, *Menthae*, *Roris marini*, *Rutae*, *Salviae*. *Summit. Centaur. minoris*. *Flores Hyperici*, *Lavandulae*, *Staechados*. *Cort. Aurantiorum*, *Citriorum* &c. Quibus suo merito adduntur *Antiscorbutica*, vulgo dicta, ut: *Rad. Raphan. rusticani*, *Taraxaci*. *Herb. Becabungae*, *Chelidoniae*, *Cochleariae*, *Fumariae*, *Nasturtii aquatici*, & *hortensis* & similia. Ex his vero omnibus, pro cuiusque arbitrio, vel singula simpliciter, vel plura simul, eaque magis minusve composita, in usum possunt vocari, variis sub formis. Ita, v. gr: summae efficaciae deprehenditur Electuarium ex sola herba *Melissae* cum *Melle* despumato factum, si quis omni hora secunda nucis moschatae quantitatem inde capiat, & superbibat infusionem

 eius-

eiusdem herbae, in vino aut cerevisia factam. Aquam, quoque ex laudata herba multiplici cohobatione destillatam, & ieiuno ventriculo potam, pulcherrimos saepissime effectus edere in se ipso hoc expertus docet *H. Boerhavius Elem. Chem. Tom.* II. *Part.* I. *Proc.* 16. § 6. *Conserva Roris marini*, in vino Rhenano sumta, quam plurimis egregie profuit. *Chamaedryos* decoctum Carolo Quinto, Imperatori, veluti aliquod specificum, commendarunt medici Genuenses, & testatur *Solenander*, *Consf.* 25. *sect.* IV. *p.* 419. & *Consf.* I *Sect.* V. *p.* 437, plurimos, qui hoc medicamine per 60 dies erant usi, penitus fuisse sanatos; cum antea non solum pedum, sed & manuum articulos haberent arthritide occupatos. *Chamaepitys* tantas in hoc morbo debellando possidet vires, ut *Ivae* inde *Arthriticae* nomen commeruerit, vel ipsa cum melle sumta, vel syrupo ex illa parato. *Betonicae* usu frequenti duos Podagricos convaluisse refert *G. Fabricius*, *Hildanus*, *Obs.* 32. *Cent.* VI. *Trifolii aquatici* decoctum non nullos pristinae sanitati reddidisse memorat *Sim. Schultzius* apud *Bonet. Med. Septentr. Coll. Part.* II. *l.* V. *Sect.* III. *Obs.* 30.

Inter illa, quae collectis undique copiis, indagine veluti facta, Podagram adoriuntur, excellunt duplex *Sydenhami* Electuarium, cuius descriptionem, ut & aquae, illi superbibendae, exhi-

exhibet in *Tractatu de Podagra p. m.* 569, 570. & *Antidotus Podagrica a Spigelio* proposita, de *Arthritide p.* 87.

Ad quartam indicationem, curam nimirum *nodorum tophorumque*, ex plurimis, quae praescribuntur a medicis, optima esse puto, *Emplastrum Vigonis de Ranis cum Mercurio*, quod exhibet *N. Lemery Pharmacop. Vniverselle, p.* 1015. *De Vitriolo, Alumine & Sale*, quod videri potest apud *Hartmann. in Prax. Chymi-Iatr. p.* 189. & *Chr. Constant. Rompf Compend. Med. Pract. p.* 28. nec non *Emplastrum de Cicuta*, cuius elegantissimam descriptionem ab Ampl. & Cl. Viro, WYERO GVLIELMO MVYS, Medicorum ac Mathematicorum decore immortali, principio, medio & ultimo, semper quam honorificentissime, mihi memorando, propositam *Prax. Med. MS: l.* III. *sect.* III. *cap.* I. hic subiungere operae erit pretium.

℞. *Pulver. Fol. Cicut.* ℥*iv.*
Succ. Cicut. depur. ℥*xxij.*
Gumm. Ammoniac. in *succo dicto* dissoluti & depurati ℥*vj.*
Ol. Cappar. ℥*iv.*
Cerae flav. ℥*viij.*
Terebinth. Comm. ʒ*j.*
M. F. S. A. Emplastrum.

 Si

Si vero nodi tophive adeo fuerint inveterati, atque ex solido osse erosi, ut tolli radicitus non possint, ob rationes in *prognosi* allatas, tunc *caustico* leviori, vel *scalpello* cutis est aperienda, atque eorum evulsio tentanda *Emplastro Diachylo cum gummi.* Saepius etiam *spatula*, vel alio instrumento idoneo, calx eximitur & inflictum vulnusculum, imposito emplastro, brevi rursus coalescit.

Articulis pedum firmandis apta sunt *Linimentum Mayernii*, *Emplastrum Grimmii* &c. superius, ad dolorem sedandum, alligata. Item, *Emplastrum Diapalmae*, quod spe maiora non raro in Podagricis praestare notat *Galen. l.* I. *de Compos. Med. cap.* 4. Pediluvia ex *aqua ferrariorum*; vel, ex lixivio aliquo, iunctis herbis *cephalicis*, praeparata; qualia videri possunt apud *G. Horst. l.* VIII. *Obs.* 5. *M. Ettmuller. Colleg. Pract. l.* II. *p.* 785. *Thermae Aquisgranenses*, *Badenses* utraeque, *Embsenses*, *Hirschfeldenses* in Silesia, quarum ope cervus claudicans olim restitutus, iis nomen indidisse creditur; atque aliae plures. Denique *vinacea*, dum vindemiant, torcularibus recens extracta, & pedibus circumdata, de quibus consuli debet *Duretus* apud *Riverium l.* XVI. *c.* I. *circa finem.*

Diaeta

Diaeta in Podagra tam sollicite est observanda, quam vix in ullo alio morbo. Saepicule enim fit, ut sola victus ratione aeger sanus evadat, si illi recte insistat; & contra, si illam neglectui habeat, nulla illi remedia quidquam prosint. Verum enimvero tam fuse, tantaque cum accuratione, illius regulas exsequutus est *Th. Sydenhamus*, propria, hac in re, experientia sapiens, ut nihil fere addi aut mutari posse videatur, quare ad eum lectores ablego.

Extra paroxysmum, praeservationis ergo, vere & autumno, capiantur *Vomitorium* & *Purgans*, & si aeger fuerit plethoricus, *V. S.* etiam instituatur. Praecipue tamen curandum est, ut corpus leni sudore perpetuo madidum teneatur, quem in finem, dictis temporibus, per tres menses, quocunque mane, una hora, antequam aeger surgat, *grana tria*, *vel quatuor*, *Sal. Vol. C C.* ex liquore idoneo, sumi iubet *H. Boerhavius* in *Collegio Practico*, saluberrimi illius praecepti rationes ulterius explicante Cl. *Ioann de Gorter*, maximi doctoris discipulo dignissimo, *de Perspirat. Insensib. Sanctoriana-Batava cap.* 12. § 55.

Si autem (verba sunt *Boerhavii*, *de Cogn. & Cur. Morb.* § 1281.) *materiae Podagricae*

gricae introverſae ſigna adſint, ſine ulla mora tentanda eſt eius expulſio in iuncturas: ergo ſtatim applicentur femoribus larga veſicatoria; locis dolere aſſuetis fomenta aromatica ſalina tepida; fiat deambulatio in rheda; ſumatur copia decocti alicuius aromatici ſudoriferi, vel, hoc non iuvante, vini Rhenani generoſi; his dein factis, dolore incipiente, in calidum lectum repoſitus, & opertus, ſudet.

FINIS.



AAN

AAN DEN
Geleerden, Digtkundigen, en Uitmuntenden
HEERE
IANVS EVERH. MEEKMA,
Als zyn Ed. tot het Priesterschap van Apollo, op een plegtige wyze binnen Franeker zoude worden ingewyt op den van Maert. 1733.

Scimus & ad doctas cum se tulit impetus artes,
Ingenii currunt flumina quanta tui!


Ls eens Aurora was ontlóken,
Scherpte ik inwendig myn verstandt,
En zoude op Febus Altaar roken,
Opregt, en onbevlekt van handt,
En als ik zulk een' toon zou zingen,
Ter eeren van Heer MEEKEMA,
Dat 't door de wolken zoude dringen,
Verscheen Apollo kort daar na,
En wild' myn' béde niet verhoren,
De stof (zeid' hy) was my te hoog,
Ik gaf daar op den moed verloren,
Dies ik m'eerbiedig voor hem boog,
Om dat hy zig aan my verklaarde,
En deze woorden openbaarde,

Inventum Medicina meum est, Opiferque per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Myn wille hield' hy voor myn' pligt,
Hy zou zyn' IANUS zelfs vereeren,
Hem glansryk ſtellen in het ligt,
By alle die zyn Kunſt waardéren.

(Ipſi me cantus, herbaeque, artesque relinquunt)

Hier op verliet my zang, en kunſt,
Ik konde van geen kruiden ſpréken,
Ik moeſt ontbéren Febus gunſt,
En blyven in myn Zingen ſtéken.

Maar als Aurora nu verdween uit myn gezigt,
Ontſloot Godt Febus met veel yvers zyne deuren,
En brak met eenen ſtraal door 's hemels róde kleuren,
Waar op verkwikkend' ſcheen het heerlyk zonneligt,
De Faam, als op de wagt, klapwiekte met haar vlerken,
Om iemants eere, en lof, zo veel ik kon bemerken,
Te galmen door het Zwerk, zo dra Apol 't bevool,
Zy dryvend' gins en weer op vleugels van Eool,
Verſcheen hy vrolyk by de négen Zang-Godinnen,
Om zynen IANUS, met veel luiſters op Parnas,
Daar ook Minerva kwam met haren Hofſtoet binnen,
Waarom de Zangberg flux in bezighéden was,
Hoe m'haar, die Blixem werpt, en 't alles moeſt regéren,
Naar haare waardigheit, als een Godin zoude eeren.
Te meer, wyl zy in lang zo ſpaarzaam daar verſcheen,
Maar wel zig had vertoont, en aanſtonts weer verdween,
Dog Febus van zyn' Troon in aller yl geſtégen,
Heeft deze Hooft-Godin, by hare handt gekrégen,
En haar in Majeſteit vol ſtaatſy neergeplant,
Met onderdanigheit aan zyne Regterhandt.

En

En Zong.

Godinne! hier verscheenen,
Zyt welkom by ons, en gegroet,
Nu dat Aurora is verdweenen,
En gy ons met uw' glans ontmoet
Nu moeten rontzom ook myn' stralen,
Verligten uw Olyven Hooft,
Wy willen U met Zang onthálen,
Op dat uw' Wysheit word' geloofť.
Gezégent zyt Gy, waard te horen,
De ware deugd krygt door U weèr,
De luister, die zy had verloren.
Wy minnen Pallas! U hier teèr.

Waar op ze in Heerlykheit dit weinig heeft gespróken,
,, Hoor toe *Latonâs Zoon!* het heeft my noit ontbróken,
,, Aan uw bereiden wil, wanneer ik Zónen had,
,, Dat een der zelve met my op den Zangberg trad.
,, 'K Heb Godt der Kruiden! en die uwen Troon omringen,
,, Een' IANVS voortgeteelt, die Nazôs toon kan zingen,
,, Den trant van Maro, en Horatius zyn' zwier,
,, Die Helden, zo gekroont van U, met den Laurier.
,, 'K Heb zynen naam genoemt, naar Mannen die uitblonken,
,, En van U, uit den bron milddadigst zyn beschonken,
,, Inzonderheit naar een, *aan Mavors toegewyt,
,, Dat Hooft der Digteren, in Neerlandt in zyn' tyt.
,, Ik heb hem opgekweekt in deugden, en in zéden,
,, En zyne Ziel begaaft met Wysheit, en met réden,
,, En daarom is 't nu tyt, dat hy ook word' bekroont,
,, En zyn' verdiensten met uw' Lauweren beloont.
Hier stonde IANVS by, en hoord' zo van hem spreeken,
En wierd' door 't draeyende oog van 't Zusterdom bekéken.

* *Ianus Broekhuizen.*

Verrukkend' blonk de glans, 't beroofd' hem ſchier van zin
Terwyl Godt Febus dit ſprak tot de Puik-Godin.
„ O! Dogter Iupiters! van 't Godendom geprézen,
„ Hoe aangenaam 't my is, verklaar ik u by dézen,
„ Dat Gy deez' Iongeling, verwaardigt voor uw zoon,
„ En nu zo luiſterryk met hem beklimt myn' troon,
„ Te meer, om dat g' hem noemt, naar zulke brave Helden,
„ Wiens eeuw'ge glori zal het eind' der wérelt melden,
„ My dunkt, dat elk van hun in zyn perſoon herleeft,
„ Om dat zoo'n Edel bloedt in d'aders van hem zweeft.
„ Vermogende Godin! ik heb hem aangenomen,
„ Als uit uw' ſchoot gebaart, 't was my al voorgekomen,
„ Dat hy in wysheit blonk. Hy is by my bekent,
„ En in de harten van myn' Maagden ingeprent.
„ Hy kwam al vroeg de vrugt van myne Prieſters rapen,
„ Zyn' grote Geeſt ſcheen tot Geneeskunſt, als geſchapen.
„ Zyn Vader in Natuur, had hem al voorgeligt,
„ En tot myn Heiligdom, van kintsbeen af, gerigt.
„ Die Vader, die zyn' Zon in d'Hooftſtadt van de Fryzen,
„ Met eene uitſtekentheit, al lang tot hulp liet ryzen,
„ Die Vader, die zig zo verheugt in zulk een' Zoon,
„ Die 't ganſche huisgezin is tot eene eerekroon,
„ Die Vader, die niets aan zyn' IANVS wilde ſpáren,
„ Om dat een' Geeſt zig vroeg in hem kwan openbáren,
„ En, na gedane vlyt, heeft zulk een grondt geleit,
„ Dat zyn' Welſprekentheit van rontſom wort verbreit.
„ Zyn' kennis in het *Griex*, *Romeins*, en and're talen,
„ Zal ik in 't bréde hier, Godin, U niet verhálen,
„ Wyl Gy door uwe gunſt hem daar toe hebt geſtelt,
„ Dat zynen naam zou zyn van *Letterlien* gemelt.
„ Hy heeft ter winning van myn' heilige Laurieren,
„ Bezogt myn' Tempel by de wyze Batavieren,

„ En

„ En daar Godinne! zo naukeurig in verkeert,
„ Dat hy met 't Priesterschap van my zal zyn vereert.
Hier op riep hy Eraat, en Clio tot getuigen,
Die haar eerbiedig voor Tritonia neerbuigen;
Waar van de laaste Zong een Goddelyken toon,
Voor deze Hooft-Godin; Erato voor deez' Zoon,
Om dat hy dikwils zo op 't aartryk had gezongen,
Dat het by 't Godendom, om hoge was gedrongen.
„ Hy zal voortaan ook zyn, (voer Paean voort) by my,
„ Want ik heb hem begaaft met Geest van Poëzy.
„ Noit zal hy, myn' Godin! in 't heim'lyk zyn verholen,
„ Want Hoge-Priester moet hy zyn in Neerlandts Schólen,
„ Op dat zyn' yver word' vergolden, en hy praal',
„ En and'ren ook verligt met myn' vergoden straal,
„ Zo wel als Themis heeft zyn' goeden Vrindt verhéven,
„ En dien 't Hoogleeraarschap in Deventer gegeven,
„ En om hem waren wy, op dezen berg by een,
„ Om dat hy héden zou den eersten trap betreen,
„ En naar myn' wil en wet zyn' gaven laten horen,
„ En tonen, dat hy is uit U, Godin! geboren,
„ De Lauwers zyn gereed ter Kroning van zyn Hooft,
„ Dat zo uitmuntend' van het Menschdom wort gelooft.
Dus verre sprak Apol, en boog zig neer ter aarde,
En de Godinne zag met aandagt alles door,
Terwyl een Lofzang wierd' gezongen naar de waarde,
En deze zoete klank drong in haar Godlyk oor.

Nu moet m' in 't Veld van Wysheit weiden,
Die met haar blinkende gelaat,
Al om den Zangberg zal verbreiden,
Waar dat haar glans, en glori gaat.
Wy die uw' Majesteit omringen,

Wy buigen, Pallas! voor uw Troon,
Om eeuwig lof van U te zingen,
Geluk met IANVS uwen Zoon!
De Kruiden, die voor ſtervelingen,
Op 't aartryk mild zyn voortgebragt,
Op dat de Menſchen hulp ontvingen,
Verſtaat hy in haar aart, en kragt.
By hem is baat voor Pynlykhéden,
Die kwellen dagelyks den voet,
Die maar na IANVS toe wil tréden,
Wort flux geholpen door zyn' gloedt,
Dien gloedt, die altoos ſtaat te branden.
Voor die met kwalen zyn bezogt.
Hy zal verloſſen uit de banden,
Om dat Gy Wysheit in hem wrogt.
Zyn Geeſt doorwandelt aarde en hemel,
En hy ontbiedt voor zyn verſtandt,
Dat daar op leeft, en al 't gewémel,
In Lugt, en Wateren geplant.
Hy ken de Staten, Scepters, Kronen,
Waar door het Godendom regeert,
Waar Griek, en Arabieren wónen,
En Moor, en Indiaan verkeert.
Die kennis hebt Gy hem gegeven,
Hy is 't verpligt aan U alleen,
Hy zal U danken al zyn léven,
Om dat hy hier met U verſcheen.
Verheerlykt zyt Gy dan Godinne!
Die met U Zoon hier by ons koomt,
Die Godt Apollôs gunſt kon winne,
En daar de Hengſte bron voor ſtroomt.

Hier

Hier op wierd' nu Minerv' geruſt, en wel te vréden,
Van 't Gulden-Ligt geleit met ſtralen na benéden,
En Ianvs volgd' haar, als een Zoon in haren ſtoet
En ſpreide, waar Zy ging, tapeet voor haren voet,
Een Eere! die genoot noit iemant in zyn léven,
Want die wierd' maar alleen aan 't Godendom gegéven.
Iö, men hoorde daar, triomf! weer 't ſnarenſpel,
En 't Zuſterdom wenſcht haar, een heerelyk vaarwel,
En ondertuſſchen ging hier Ianvs in den Tempel,
Op 't Autaar, en gegroet van haar tot aan den drempel,
Drukt' zy lieftalig nog voor 't laatſte zyne handt,
Geen wonder! dat hy zo uitmuntend' van verſtandt,
Zyn' nette woorden liet in zulk een ſchikking' draven,
Terwyl de Faam uitblies zyn' weergaloze gaven.
Hy ſtond' daar. Callioop, die ſchrand're Koningin
Der Zangberg was beluſt op Ianvs door de min,
En wild' met Heldendigt voor 't 't laaſte hem onthalen.
Met klonk de Helicon (Terwyl de gulde ſtrálen
Verheerlykten 't gezigt) zielroerende van Toon!
En Pallas onder des beveeld' hem aan de Goon,
En ging langs 't aartryk, en vernam, of ook meer Zónen,
Wel waardig zyn, dat zy, en Febus hem belonen.
Van verren hoord' zy nog, dit klinkende geluit
Gy vindt, waar dat gy vindt, uw Ianvs munt tog uit!
Daar op daald' 't Lauwerhooft tot in den Tempel neder,
Met zyn' vergulden kleedt, en ſchreef met zynen véder,
Dit is een Hippocraat! dien ik bekroon met pragt,
Maar 't was Cupido, die de Lauwerkrone bragt',
Om dat Mercurius in dienſt was van Minerve,
En boodſchap brengen moeſt' wat Ianvs zou verwerve,
Waarom der Digt'ren Godt, meer uitcrlyken ſwier
Getoont heeft in de kunſt van 't vlegten der Laurier.

De

De Kroon was keurlyk, en op 't blinkenste doorvlogten,
Met paarlen, goudt versiert, met regt een uitgezogten!
Te meer Cupido had wat Myrt 'er toegedaan,
Wat Roos, en Lely, om wat jeugdiger te staan.
Dog als Apol dit zag, heeft hy hem aangesproken,
En vroeg het Minnewigt, wie 't hem hadde ingestóken.
„ Myn' Moeder (zeid' hy) op dat hy in 't kort eens zou,
„ Op 't sierlykst pronken met eene uitgelezen' vrou;
„ Want zal de Wetenschap met hem niet gaan verloren,
„ Zo dienen Phoenixen uit zulk een asch geboren,
„ Die in de gunst van U, en van Minerva zyn,
„ Tot hulp voor *Podagra*, een onverdraagb're pyn!

Dan zou 't misschien nog wel gebeuren,
Dat Febus my zyn' gunst weer gaf,
En ik eens maalde met de kleuren,
De kuische minnevonken af.
Wanneer het IANVS zal gelukken,
Een' Maagderoos op 't Ledikant,
Die aangename Vrugt! te plukken,
Ontstoken door de Minnebrandt,
Dan was 't naar Venus welbehagen,
Die met haar lieflyk aangezigt,
Instort de reine minnevlágen,
Waar voor een *Letterhelt* ook zwigt.
De Wyste wort wel overwonnen,
En van Cupido vaak verrast,
Door 't stralen van twee flonkerzonnen,
En gaat op dat banket te gast.
Terwyl de Minnegoodjes zwieren,
En zetten 't hart in heeten gloedt,
Ontziende Kroonen, nog Laurieren,

Gy

Gy dryft ook, IANUS, in dien vloedt;
Maar zagt! my dunkt, gy raakt aan 't blozen,
Het past nu béter met de Faam,
Als dat myn Geest hier woelt in rozen,
Te galmen. *Eeuwig zy de naam*
Van hem, die menschen met de Kruiden,
Gebaart uit 's Aartryks Vrugtb'ren Schoot,
En hier, in 't Oosten, en in 't Zuiden
Verkwikt in ziektens en in noodt.

B. IDEMA.

EPIGRAMMA

AD EUNDEM.

COllaudent Musae, collaudent carmina Vatum
Ingenium praestans arte Machaonia,
Nil juvat, ingenium superat praeconia, dudum
Monstrasti Divis terrigenisque tuum.

A. LYKLAMA â NYHOLT,
I. V. D.

AD EVNDEM.

SPes patris, & Latiae merito ſpes magna Camoenae,
Inter Apollineos lucida ſtella choros;
MEEKEMA, iam vellem dignas tibi dicere laudes;
Si limata ſatis pagina noſtra foret:
At dedit Auſonios quoniam tibi lingua lepores
Itala, Pieridos protegit ora rubor;
Et renuit prodire metu, & turbata pudore
Balbutit flenti carmina noſtra modo.
Te dudum memorare volens tentata nequivit,
Singultu coeptos ſaepe negante ſonos.
Nunc aliquid noſtris iterum conatibus obſtat.
Ah nimium Muſae ſors inimica meae eſt!
Quid crebris caruiſſe iuvat ſingultibus, atque
Auxiliis ſubito convaluiſſe tuis,
IANE, cui fas eſt magnas perſolvere grates,
Cum nova nitenti fata vetare vides?
Qualiacunque tamen dignabere carmina, ſpero;
Dum colis ingenium grandior ipſe minus.
MEEKEMA, quid referam? certe praeclara laboras,
Quae numquam medico Phoebus habenda dedit.
Haec tibi ſi fient (fient, ſi vota valebunt)
Clarior o claro patre Melampus eris.
Quippe petit diram divina medela Podagram,
Quae doctas artes ſpernere ſueta fuit.
Peſſima quae miſerum ſternit; ſtratumque cruenta
Mortalem tectis abnuit ire ſuis.

Omnia

Omnia membra tremunt ſaevo percuſſa dolore,
  Tangit inaequalem ſi pede triſtis humum.
Alite felici iam nunc & numine fauſto
  Aggredere, ut telis occidat icta tuis.
Laetus eram, fateor, veniſſe Machaona tandem,
  Qui valida peſtem pelleret arte feram.
Namque ſacerdotes non laedit ſola Lyaei,
  Qui ſiccant labris pocula magna ſuis:
Dicitur & nimium vexare poemata ſaepe:
  Dicitur; invito credita fama mihi eſt.
Nonne vides te, IANE, precor, namque ipſe poeta es,
  Vt repat miſero carmen inane pede?
Quin metuit dura veſtigia figere terra,
  Ne pes frangatur non bene firmus humi.
Et nimium timidum, ne ſe dolor urgeat ingens,
  Cunctis ridiculo cogitur ire modo.
Proh dolor! & caſtis res indigniſſima Muſis!
  Quarum quaeque gradu noſcitur eſſe dea.
Attamen haud mirum eſt, ſi cauſas pectore volvo.
  Deceptus ſapiens proximitate fuit.
Inclyta, mons Helicon, cunctorum fabula vatum,
  Aonium gemino colle cacumen habet.
Scilicet hic Phoebo ſacer eſt, ſacer alter Iaccho:
  Ille dabit carmen, largus & ille merum.
Sic fit, ut ambigua deluſus rupe poeta
  Grynaeum vocitet, Nyctеliumque colat:
Vinaque nodoſam pariant exhauſta Podagram;
  Vnde etiam toties carmina clauda vides.
Nonne Philoctetes, Lernaeo ſaucius angue,
  (Credo equidem) melius carpere poſſet iter.
Ipſe igitur, Phoebusque pater, dulcesque Camoenae,
  Nec non Palladio quicquid in orbe viget,

Te poscunt cupidis, cariſſime MEEKEMA, votis;
Si vir es atque potes, triſte fugato malum.
Incipe iam, fortisque vide, quid brachia poſſint:
Nec tu cede loco, ſit licet hoſtis atrox.
Dardanius validis pugnabat viribus Hector:
Pelidesque tamen victor Achilles erat.
Conflixit Turnus pulcris fortiſſimus armis:
Aeneas domuit non minus enſe virum.
Cingere iam vellem victoris tempora lauru!
Victori vellem carmina laeta dare!
Sed quia plebs clamat: vendunt mendacia vates,
Intonſi ſalva relligione Dei;
Et quoniam eſt natura hominum perverſa, ſilete
Pierides; ne vos dicere falſa putent.

GERB. THEODORIADES.

